



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

L. Annæi Senecæ Ad Aebvcivm Liberalem De Beneficiis Liber Qvintvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

L. ANNÆI SENECAE
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

ABSOLVTIS duabus precipuis partibus, Quomodo dandum Beneficium, Quomodo accipiendum: transire se dicit ad quædam non tam in ipsâ materie, quàm ex ipsâ, & vicina ac connexa. *Questiuncula subserit, primò istam: An turpe Beneficiis vinci? negat vinci posse, & parem semper esse, qui gratè meminit, qui cupit animo referre, si re non potest. Questiuncula secunda: An aliquis sibi beneficium donet? item negat, & in vtramque tamen partem argutatur. Tertia questiuncula: An aliquis Ingratus Stoicè dici possit? ait, & docet. Quarta, An non omnes ingrati sint? minimè, et si plurimos facetur. Deinde ex adtextu, Quousque, & an alius pro alio obligemur? vt filius pro patre, & talia. Distinctione respondet, & magis negat. Quinta Questiuncula; An triste beneficium, & inuito etiam dari possit? potest. Vltima denique: An repeti Beneficium possit?*

CAPVT PRIMVM.

IN prioribus libris videbar consummasse propositum, cum tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, & quemadmodum accipiendum. hi enim sunt huius officij fines. Quidquid vltà moror, non seruiò materie, sed indulgeo: quæ quò ducit, sequendum est, non quò inuitat. Subinde enim nascetur, quod laceffat aliquâ dulcedine animum, magis non necessarium, quàm superuacuum. Verùm quia ¹ ita vis, perseveremus, peractis quæ rem continebant, scrutari etiam ea quæ sunt his connexa, verùm non cohærentia: quæ quisquis diligenter inspicit, nec facit operæ pretium, nec tamen perdit operam. Tibi autem ² homini naturâ optimo, & ad beneficia propenso, Liberalis Æbuci, nulla eorum laudatio satisfacit. Neminem vnquam vidi tam benignum, etiam leuissimorum officiorum æstimatorem. Iam bonitas tua eousque prolapsa est, vt tibi dari putes beneficium, quod vlli datur. paratus es, ne quem beneficij pæniteat, pro ingratis ³ dependere. Ipse vsquecò abes ab omni iactatione, vsquecò statim exonerare cupis quos obligas, vt quidquid in aliquem confers, velis videri ⁴ non præstare, sed reddere. Ideoque plenius ad te sic data reuertuntur. nam ferè sequuntur beneficia non repositentem: & vt ⁵ gloria fugientes magis ac magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. Per te verò non est mora, quò minus beneficia qui acceperunt, ⁶ vltro repetant: nec recusabis conferre alia, & ⁷ suppressis dissimulatisque plura ac maiora adiicere. Propositum optimi viri, & ingentis ⁸ animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet. succumbunt vitia virtutibus, si illa ⁹ non citò odisse properaueris.

Illud

A Illud vtiq̄ vicē tibi placet, velut magnificē dictum: *Turpe est beneficiis vinci.* quod an sit verum, non immeritō quæri solet: longēque aliud est, quā mente concipis. Nunquam enim in rerum honestarum certamine superari, turpe est: dummodo arma non proiciās, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propositum eandem afferunt vires, eandem facultates, eandem fortunam: quæ optimorum quoque consiliorum, ¹⁰ dumtaxat exitus, temperat. ¹¹ Voluntas ipsa rectum petens, laudanda est, etiam si illam alius gradu velociori antecessit. non ut in certaminibus, ad spectaculum editis, meliorem palma declarat: quamquam in illis quoque sæpe deteriorem prætulit casus. Vbi de officio agitur, quod uterque à sua parte esse quā plenissimum cupit, si alter plus potuit, & ad manum habuit materiam sufficientem animo suo, si illi, quantum conatus est, fortuna permisit; alter autem voluntate par est, etiam si minora quā accepit reddidit, aut omnino non reddidit, sed vult reddere, & toto in hoc intentus est animo: hic non magis victus est, quā qui in armis moritur. quem occidere facilius hostis potuit, quā auertere. ¹² Quod turpe existimas, id accidere viro bono non potest, ut vincatur. numquā enim succumbet, nūquam ¹³ renuntiabit. ad vltimū vsque diem vitæ stabit paratus, & in hac ¹⁴ statione morietur: magna se accepisse præ se ferens, paria voluisse. ¹⁵ Lacedæmonij vetat suos ¹⁶ pancratio aut cestu decernere, vbi inferiorē ostendit victi confessio. Cursor ¹⁷ metā prior contingit: velocitate alium, non animo, antecessit. Luctator ¹⁸ ter abiectus, perdidit palinā, nō tradidit. Cū inuictos esse Lacedæmonij ciues suos magno

II.

III.

COMMENTARIUS.

C AP. I. I. ITA VIS.] *Pœtarum more, nempe tu vis, & facis eum velle.*

2. HOMINI.] *Meus, hominum: & magis laudet.*

3. DEPENDERE.] *Pendet è prioribus, quia tibi in scribis & imputas aliis benefacta, sequitur ut gratus pro iis sis, & soluas id est dependas.*

4. NON PRÆSTARE.] *Non dare, sed soluere iam pro accepto.*

5. GLORIA FVG.] *Liuius: Ad eod̄ spreta in tempore gloria, interdum cumulatori redit. Noster in epist. Gloria umbra virtutis est, etiam inuitos comitabitur.*

6. VLTRO REPETANT.] *Agant, qui sunt rei.*

7. SUPPRESSIT.] *Meus, suspensis, haud male, sed tum quoque velim, dissimulatisve, disiungendo, non copulando.*

D 8. ANIMI.] *Idem liber, cause, quid lateat, neficio, nam vulgata per quidem bona videtur.*

9. NON CITÒ.] *A Mureto est, nam editi hætenus concitò odisse. Et sententiam haud improbam efficit, nisi quod vocula citò redundat, nec ap̄e cum properandi verbo rextetur. Alij quidam scrip̄it, quā citò adisse: alij, odisse: at meo vox ea nulla est, scribiturq̄: quā citò properaueris.*

CAP. II. 10. DVMTAXAT.] *Ad sequens verbum referes, nihil in consilia ipsa potest, nec mutat quin bona, talia sint: sed tantum in euentus. Etsi vel sic vox suspecta, meus diuissim scribebat, dum taxat: aliquo etiam sensu.*

11. VOLUNTAS.] *Adsidet hoc Apuleij: Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.*

12. QVOD TURPE.] *In meis, Quod ipse. Et ita est, ad Liberalem refertur, de quo paulo ante: longē aliud est, quā mente concipis. In eo igitur erras, inquit, quod existimas virum bonum beneficiis vinci.*

13. RENUNCIABIT.] *Conditioni huic, aut amico certamini.*

14. STATIONE.] *A militia, in qua nefas stationem & excubias deserere.*

CAP. III. 15. LACEDÆMONII.] *Ex decreto siue rhetrā Lycurgi. An ea obtinuit Romanorum hoc tempore? vix videtur, ex Propertio, & Philostrato: at tu vide Turnebum XXVII. Aduers. cap. VIII. Petrum Fabrum lib. I. Agonistic. cap. XII. & IX.*

16. PANCRATIO.] *Pugilatus est, & glossis antiquis, παγκρατιστῆς, pugil, pugillator: sed cum discrimine à Cestu. Quod & Seneca hic innuit, & seorsim ponit: itemq̄, Propertius:*

Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris.

Pancratiastes igitur est, qui nudis manibus pugnisq̄, nexus miscet, sed & pedibus ac toto corpore certat. Inde nomen Græcis, quod viribus & omni robore aduocato: sicut & eosdem παμμάχους vocant. Imò & Lucta huic certamini mixta. At Cestus, simplicius, est grauius, pugnat. Nam is manus obarmat (sunt enim Cestus segmenta lorea, grauias, bullis siue nodis è ferro, ære, plumbo interstincta) & pondere illo caput, genas, collum aduersary aut pectus quatit.

17. METAM.] *Pleraque scripta lectio Cretam: & ita vocabant. vide epist. CVIII.*

18. TER ABIECTVS.] *Suidas, in verbo τετραδμαί.*

e 3

19. VOX

magno aestimarent, ab his certaminibus remouerunt, in quibus victorem facit non iudex, non per se ipse exitus, sed ¹⁹ vox cedentis, & ²⁰ tradere iubentis. Hoc quod illi in ciuibus suis custodiunt, virtus ac bona voluntas omnibus praestat, ne vinqum vincantur: quoniam quidem etiam ²¹ inter superantia animus inuictus est. Ideo nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos. Et Regulus captus est a Pœnis, non victus: & quisquis alius saeuientis fortunæ vi ac pondere oppressus, non submittit animum. In beneficiis idem est. plura aliquis accepit, maiora, frequentiora: non tamen victus est. Beneficia fortasse beneficiis victa sunt, si inter se data & accepta computes: si dantem & accipientem comparaueris, quorum animi & per se aestimandi sunt, penes neutrum erit palma. Soler enim fieri, vt etiam cum alter multis vulneribus confossus est, alter leuiter quidem saucius, pares exisse dicantur, quamuis alter videatur inferior. Ergo nemo vinci potest beneficiis: si scit debere, si vult referre, ²² si quod rebus non potest, animo æquat. Hic, quàm diu in hoc permanet, quàm diu tenet voluntatem, gratum animum signis ²³ approbat: quid interest, ab vrâ parte munuscula plura numerentur? Tu multa dare potes: at ego tantum accipere possum. tecum stat fortuna: mecum bona voluntas. tamen tam par tibi sum, quàm multis armatissimis nudi, aut leuiter armati. Nemo itaque beneficiis vincitur: quia tam gratus est quisque, quàm voluit. Nam si turpe est beneficiis vinci, non oportet à præpotentibus viris accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis. A principibus dico, à regibus: quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possent, pauca admodum & imparia datis recepturi. Reges & principes dixi, quibus tamen potest opera nauari, & quorum illa excellens potentia per animorum ²⁴ consensum ministeriumque constat. Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix vllis humanis desideriis continguntur: quibus nihil potest prestare ipsa fortuna. Neesse est à Socrate beneficio vincar: neesse est à Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incesit, calcatis regiis opibus. ²⁵ Nónne ille tunc meritò & sibi & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminare visus est, infra quem omnia iacebant? Multo potentior, multo locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro. plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille posset dare. Non est turpe, ab his vinci. neque enim minùs fortis sum, si cum inuulnerabili me hoste committis: nec ideò ignis minùs vrere potest, si in materiam incidit inuiolabilem flammis: nec ideò ferrum secandi vim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidus, inuictæque aduersus dura naturæ, diuidendus est. Idem tibi de homine grato respondeo. Non turpiter vincitur beneficiis, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunæ magnitudo, aut eximia ²⁶ virtus aditum redituris ad se beneficiis clausit. A parentibus ferè vincimur. nam tam diu illos ²⁷ odio habemus, quàm diu graues

19. VOX CEDENTIS.] *Diserid de Voc. & Plutarchus hoc voluit, cum in istâ re causam reddidit prohibitionis eius Lycurgi (in Laconicis) δρωσ und eis dicitur ἐν τῷ ποσὶ ἀναδὲν ἐστὶν ἄρα: nequis assuesceret in laboribus despondere animum & voce id fatari.*

20. TRADERE.] *Manu porrectâ id significantis. nam ea confessionis, & pralationis illius nota. Plutarchus in Lycurgo: ea sola certaminum permisit ciuibus, ἐν ἧς γένηται ἀναδὲν ἄρα: in quibus manus non protenditur. ad hanc nempe confessionem. Proverbium innotuit, Manum dare.*

21. INTER SUPERAN.] *Ex istis Pincianus arguè faciebat: in ter superatis, quia de Lucretiore ter abiccto pravit. Sed Seneca verba nunc de Spartano toto instituto, non de Lucretio sunt. Meus liber, intus superantiam. Certum mihi rescribere: intus superati animus. hoc sensu, Hominis etiam superati animus, intus inuictus est.*

CAP. IV. 22. SI QVOD.] *Meus, quidem. Lego, Si quem, molliore sensu.*

23. APPROBAT.] *Ex eodem meo, approbandi. Signis, id est rebus externis: atque omnino sic legendum.*

24. CONSENSVM.] *Politicum dictum. Linius II. Vires imperij in consensu obedientium sunt.*

25. NÓNNE ILLE.] *Scripti, O nē. quod planè verum est, exclamandi particulâ, & alterâ affirmandi. Meus, Omne refert.*

CAP. V. 26. VIRTVS.] *Vt de Socrate & Diogene dictum.*

27. ODIO.] *Ea vox abest à scriptis libris. nec mirari conuenit, sed fortiter relegere. Deprauas sententiam. quæ germana est, Parentes tamdiu in vitâ habemus, atque iis fruimur, quamdiu in adolescentiâ eos ferè grauamur. Vbi firmior ætas firmius iudicium dedit, tunc abeunt, & moriuntur. Itaque grati non*

A graues iudicamus, & quàm diu beneficia illorum non intelligimus. Cùm iam ætas aliquid prudentiæ collegit, & apparere cœpit, propter illa ipsa eos amari à nobis debere, propter quæ non amabantur, admonitiones, seueritatem, & inconsultæ adolescentiæ diligentem custodiam, rapiuntur²⁸ nobis. Paucos vsque ad verum fructum à liberis percipiendum perduxit ætas: ceteri liberos²⁹ onere senserunt. Non est tamen turpe, vinci beneficiis à parente. quidni non sit turpe, cùm à nullo turpe sit? Quibusdam enim & pares, & impares sumus. pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus: impares fortunâ, quæ si cui obstitit quò minus referret gratiam, non ideo illi tamquam victo erubescendum est. Non est turpe, non consequi, dummodò sequaris. Sæpe necesse est, antè alia beneficia petamus, quàm priora reddidimus. Nec ideo non petimus, aut turpiter petimus, quia non reddituri debemus: quia non per nos erit mora, quò minus gratissimi simus. Sed interueniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat. nos tamen nec vincemur animo, nec turpiter his rebus superabimur, quæ non sunt in nostrâ potestate.

B Alexander Macedonum rex gloriari solebat, à nullo se beneficiis victum. Non est quod nimius animi Macedonas, & Græcos, & Caras, & Persas, & nationes districtas³⁰ sine exercitu suspiciat: ne hoc sibi præstitisse regnum, à Thraciæ angulo porrectum vsque ad litus incogniti maris, iudicet. Eâdem re gloriari Socrates potuit, eâdem Diogenes, à quo victus est. Quid ni victus sit illo die, quo homo supra mensuram humanæ superbiæ tumens, vidit aliquem, cui nec dare quidquam posset, nec eripere? ³¹ Archelaus rex Socratem rogauit, vt ad se veniret. dixisse Socrates traditur, *Nolle se ad eum venire, à quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset.* Primum, in ipsius potestate erat, non accipere: deinde ipse dare beneficium prior incipiebat. Veniebat enim rogatus, & id dabat, quod vtiq; ille non erat Socrati redditurus. ³² Etiamnum Archelaus daturus erat aurum & argentum, recepturus contemptum auri & argenti. Non poterat ergo Archelao referre Socrates gratiam? & quid tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset hominem vitæ ac mortis peritum, vtriusque ³³ fines tenentem? Si regem, in luce mediâ errantem, ad rerum naturam admisisset, vsque eò eius ignarum, vt quo die solis defectio fuit, regiam cluderet, & filium (quod in luctu ac rebus aduersis ³⁴ moris est) tondèret? Quantum fuisset beneficium, si timentem è latebris suis extraxisset, & bonum animum habere iussisset, dicens: Non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens viâ, infra ipsum solem, orbem suum posuit, & illum obiectu sui abscondit: quæ modò partes eius exiguas, si in transcurso strinxit, obducit; modò plus tegit, si maiorem partem sui obiecit; modò excludit totius adspectum, si recto libramento inter solem terrasq; media successit? Sed iam ista sidera huc & illò diducet velocitas sua. iam recipient diem terræ, & hic ibit ordo per sæcula: quæ dispositos ac prædictos dies habent, quibus sol intercurso lunæ vetetur omnes radios effundere. Paullùm exspecta. iam emerget, iam istam velut nubem relinquet, iam exsolutus impedimentis, lucem suam liberè mittet. Socrates patrem gratiam Archelao referre non posset, si illum docuisset regnare? parùm scilicet magnum beneficium à Socrate accipiebat, si vllum ³⁵ dare potuisset Socrati? Quare ergo hoc

non sumus, quia cum possumus, non intelligimus: cum hoc, & volumus, seruum est, & iam fuerunt.

28. NOBIS.] Meus, à nobis.

29. ONERE.] Non beneficio. Educandi, monendi, dirigendi labores habuere: fructum, nisi in tacità spe & gaudio vix vllum.

CAP. VI. 30. SINE EXERCITV.] An hoc vult, ligatas obnoxiasq; fuisse, etiam sine exercitu, solo metu & viri gloria attonitas? An placebit rescribi, suo exercitu?

31. ARCHELAUS.] Macedonum rex fuit, qui in venatione ex vulnere fortuito obiit. ipso anno quo Socrates. Diodorus lib. xlv. De ipsâ re, breuiter

Diogenes: Aspernatus est magno animo Archelaum Macedonem, Scopam Cranonium, & Eurylochum Larissæum, cum nec pecunias ab his missas accepit, nec ipse ad eos ire voluit.

32. ETIAMNUM.] Ea vocula interrogatione ferenda est: Etiamnum? Archelaus &c. Valet, Estne amplius? Addone etiam?

33. FINES.] Quatenus, & quomodo, viuere ac mori oporteret.

34. MORIS EST.] Gracis quidem. nam Romanis contrâ.

35. DARE.] Id est, ipsum illud beneficium erat capere, tanto viro dare.

hoc Socrates dixit? Ut factus, & cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor A
 omnium, maximè potentium, maluit illi ³⁶ vafre negare, quàm contumaciter ac fu-
 perbè. Dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere. Timuit for-
 tasse, ne cogeretur accipere quæ nollit: timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Di-
 cet aliquis: Negaret, si nollit. Sed instigasset in se regem insolentem, & omnia sua ma-
 gno aestimari volentem. Nihil ad rem pertinet, vtrum dare aliquid regi nolis, an acci-
 pere à rege: in æquo vtramque ponit repulsam. & superbo fastidiri acerbius est, quàm
 non timeri. Vis scire, quid verè noluerit? Noluit ire ad voluntariam ³⁷ seruitutem is, cu-
 ius ³⁸ libertatem ciuitas libera ferre non potuit. Satis (vt existimo) hanc partem
 tractauimus, an turpe esset beneficiis vinci: quod qui querit, scit non solere homines si-
 biipsis beneficium dare. manifestum enim fuisset, non esse turpe à seipso vinci. Atqui
 apud Stoicos quosdam & de hoc ambigitur, an possit aliquis sibi beneficium dare? an
 debeat referre sibi gratiam? quod vt videretur quærendum, illa fecerunt. Solemus dicere,
Gratias mihi ago, & De nullo queri possum alio, quàm de me: Ego mihi irascor, & Ego à me B
pœnas exigam. & Odi me. multa præterea huiusmodi, per quæ vnusquisque de se, tam-
 quam de altero loquitur. Si nocere, inquit, mihi possum: quare non & beneficia mihi
 dare possum? Præterea quæ si in alium contulissim, beneficia vocarentur: quare si in me
 contuli, non sunt? Quod si ab altero accepissim, deberem: quare si mihi ipse dedi, non
 debeam? Quare sim aduersus me ingratus, quod non minùs turpè est, quàm in se for-
 didum esse, & in se durum ac sæuuum, & sui negligentem? Tam alieni corporis leno ma-
 lè audit, quàm sui. Nempe reprehenditur assentator, & aliena subsequens verba, para-
 tus ad falsa laudator: non minùs placens sibi, & se suspiciens, & vt ita dicam, assentator
 suus. Vitia non tantùm cum foris peccant, inuisa sunt, sed cum in se retorquentur. Quem
 magis admiraberis, quàm qui imperat sibi, quàm qui se habet in potestate? Gentes fa-
 cilis est barbaras, impatientesque alieni arbitrij, regere, quàm animum suum contine-
 re, & ³⁹ tradere sibi. Plato, inquit, agit Socrati gratias, quòd ab illo didicit: quare So-
 crates non agat, quòd ipse se docuit? M. Cato ait: *Quod tibi ⁴⁰ deest, ⁴¹ à teipso mutuare.* C
 quare donare mihi non possum, si commodare possum? Innumerabilia sunt, in quibus
 consuetudo nos ⁴² diuidit. Dicere solemus: *Sine tu, loquar tecum: & Ego mihi aurem*
peruellam. Quæ si vera sunt, quemadmodum aliquis sibi irasci debet, sic & gratias age-
 re: quomodo obiurgare se, sic & laudare: quomodo damno sibi esse, sic & lucro po-
 test. Iniuria & beneficium, contraria sunt. si de aliquo dicimus, *Iniuriam sibi fecit:* po-
 terimus dicere, *Beneficium sibi dedit.* ⁴³ Nemo sibi debet. naturâ prius est, vt quis
 debeat, deinde vt gratiam referat. debitor non est sine creditore, non magis quàm ma-
 ritus sine vxore, aut sine filio pater. Aliquis dare debet, vt aliquis accipiat: non est da-
 re, nec recipere, in dexteram manum de sinistra transferre. Quomodo nemo se portat,
 quamuis corpus suum moueat & transferat: quomodo nemo, quamuis pro se dixerit,
⁴⁴ affuisse sibi dicitur, nec statuam sibi tamquam ⁴⁵ patrono ponit: quomodo si æger
 cum curâ suâ conualuit, mercedem à se non exigit: sic in omni negotio, etiam cum
⁴⁶ ali-

36. VAFRE.] *Cur non cum libris, nascutè?*

37. SERUITUTEM.] *Noti Sophoclei versus:*
Ὅστις δὲ πρὸς τὸ γανὸν ἐμπαρορνεται,
κείνῳ σὶ δ' ἄλλος, καὶ ἀν' ἐλευθεροῦ μόλη:
 Ad regias qui conferet domos gradum,
 Fit seruusistic, liberetis accesserat.

38. LIBERTATEM.] *In monendo, & corripiendo. Atque eam veram causam odij, & ex eo mortis, produunt.*

CAP. VII. 39. TRADERE SIBI.] *Vt sit sue potestatis. non seruiat affectibus, aut corpori ancilletur.*

40. DEEST.] *Meus, deerit.*

41. A TEIPSO.] *Opinor acutè dici, Para à te ipso patientiam. careas, nec appetas.*

42. DIUIDIT.] *Ex vno duos facit.*

CAP. VIII. 43. NEMO SIBI.] *Caput hinc nomen feci. nam res tota alia, & orditur iam refutate. Abruptè satis, fateor: si tamen hac plena.*

44. AFFUISSE.] *Patrocinio vel aduocatione inuisse. Fori verbum est. Ouidius: Munera det diues, ius qui proficitur, adsit.*

45. PATRONO.] *Quod liberti, aut clientes (ad istos hic spectat) sollemniter solent: & bases cum eius modi titulis multa exstant.*

46. ALI-

A⁴⁶ aliquis probè fecerit, non tamen debebit referre gratiam sibi, quia non habebit, ⁴⁷ cui referat. Vt concedam aliquem dare sibi beneficium: dum dat, & recipit. vt concedam aliquem à se accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt)⁴⁸ versura fit, & velut ⁴⁹ lusorium nomen statim transit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, sed vnus atque idem. Hoc verbum DEBERE, non habet nisi inter duos locum: quomodo ergo in vno consistit, qui se obligando liberat? Vt in orbe ac pilâ nihil est inum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum, ⁵⁰ quia motu ordo mutatur, & quæ sequebantur præcedunt, & quæ occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint, in idem reuertuntur: ita in homine existima fieri. cum illum in multa mutaueris, vnus est. Cedit se: iniuriatum cum quò agat, non habet. alligauit & clausit: de vi non tenetur. beneficium sibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi auellitur, ad illam ⁵¹ redit: nec perire quidquam potest, quod quò excidat non habet, sed eòdem reuoluitur vnde discedit. Quid simile, inquit, habet hoc exemplum proposita questionis? dicant. Puta te ingratum esse, non peribit beneficium: habet illud, qui dedit. puta te recipere nolle: apud te est, antequam reddatur. Non potes quidquam amittere: quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra te ipsum orbis agitur. accipiendo das, dando accipis. Beneficium, inquit, sibi dare oportet: ergo & referre gratiam oportet. Primum illud falsum est, ex quo pendent sequentia. Nemo enim sibi beneficium dat, sed naturæ suæ patet, à quâ ad caritatem sui compositus est: vnde illi summa cura est nociura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat: nec clemens, qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tangitur. Quod aliis præstare liberalitas est, clementia, misericordia: sibi præstare, natura est. Beneficium res voluntaria est: at prodesse sibi, ⁵² necessarium est. Quò quis plura beneficia dedit, beneficentior est. Quis vnquam laudatus est, quòd sibi ipsi fuisset auxilio? quòd se eripuisset latronibus? nemo sibi beneficium dat, non magis quàm hospitium: nemo sibi donat, non magis quàm credit. Si dat sibi quisque beneficium, C semper dat, sine intermissione dat: inire beneficiorum suorum non potest numerum. Quomodo ergo gratiam referet, cum per hoc ipsum, quo gratiam refert, beneficium det? Quomodo enim discernere poterit, vtrum det sibi beneficium, an reddat, cum intra eundem hominem res geratur? Liberaui me periculo: beneficium mihi dedi. iterum me periculo libero: do beneficium, an reddo? Deinde vt primum illud concedam, dare nos beneficium nobis: quod sequitur, non concedam. nam etiam si damus, non debemus. quare? quia statim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non est, quia sine vllâ morâ recipimus. Dat nemo, nisi alteri: debet nemo, nisi alteri: reddit nemo, nisi alteri. Id intra vnum non potest fieri, quod toties duos exigit. Beneficium est, præstitisse aliquid vtiliter. verbum autem Præstitisse, ad alios spectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicet? quia venditio alienatio est, & rei suæ, iurisque sui, in alium ⁵³ translatio. Atqui quemadmodum vendere, sic dare aliquid, à se dimittere est, & id quod tenueris,

IX.

X.

D 46. ALIQUIS PROBE.] *Vetus scriptio: aliquid prodesse sibi: quod ego fecerim, aliquid probè sibi fecerit.*

47. CUI REFERAT.] *Meus, quò referat. quòd hominem locumq. diuersum magis notat.*

48. VERSURA.] *Versuram facere, ait Donatus, est creditorem mutare, & scenus scenore dissoluere. Domi autem ea fit, cum vt supra dictum, à nobis ipsis mutuamur. Vide epist. XXI.*

49. LVSORIVM.] *Inane, nec verum. Ita arma lusoria, quæ veris, & decretoriis opponuntur. ita Spectaculum non fidele, & lusorium. epi. LXXIX.*

50. QVIA MOTV.] *Meus negationem inserit, quia neque motu. & res ita habet: dixitq. clarè,*

nihil primum esse, nihil extremum. *Opinione tamen nostrâ tale aliquid potest: ac vide Aristotelem, si vis, II. de Cælo, cap. II.*

51. REDIT.] *Amisâ formâ, in aliam: & æterna materia prima. Vide epist. XXXVI.*

CAP. IX. 52. NECESSARIVM.] *Eo modo, quo necessaria dicuntur, οὐτως ἐχοντα καὶ ἀποκοντα: ita se habentia, & sic nata. Aristoteles I. De part. Animal. cap. I. Adde cap. V. lib. V. Metaph.*

CAP. X. 53. TRANSLATIO.] *Legitima definitio, & Imperatoria illi consonans: Alienatio est omnis actus, per quem dominium transfertur.*

54. ALI-

nueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo A
 dat sibi ⁵⁴ aliquid. Duo contraria in vno coeunt, ut idem sit dare, & accipere. Sed etiam
 num multum interest, inter dare, & accipere. quidni? cum ex diuerso ista verba posita
 sint. atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare & accipere. ⁵⁵ Pauloan-
 te dicebam, quaedam ad alios pertinere, & sic esse formata, ut tota significatio illorum
 discedat a nobis. Frater sum, sed alterius. nemo est enim suus frater. Pater sum, sed alicui.
 quis est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur,
 sine altero non est. Si & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non
 est. Id ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefecisse. Nemo autem sibi
 benefacit, non magis quam sibi fauet, quam suarum partium est. Diutius hoc & pluri-
 bus exemplis licet prosequi. quidni? cum inter ea sit habendum beneficium, quae se-
 cundam personam desiderant. Quaedam cum sint honesta, pulcherrima, summæ vir-
 tutis, nisi cum altero non habent locum. Laudatur, & inter maxima humani generis
 XI. bona, fides ⁵⁶ colitur. num quis ergo dicitur sibi fidem præstitisse? Venio nunc B
 ad ⁵⁷ vltimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui soluit
 pecuniam: nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quam consequi-
 tur, qui beneficium a se accepit. Beneficium & gratiæ relatio, vtrò citroque ire de-
 bent: intra vnum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, inuicem pro-
 deest ei, a quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Et quis
 non alio loco relationem gratiæ, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi
 prodest. & quis vnumquam ingratus hoc noluit facere? imò quis non ingratus fuit, ut hoc
 faceret? Si gratias, inquit, nobis agere debemus, & gratiam referre debemus. Dicimus
 autem, *Ago gratias tibi, quod illam uxorem nolui ducere, & cum illo non contraxi societatem.*
 Cum hoc dicimus, laudamus nos: & ut factum nostrum comprobemus, gratias agen-
 tium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, & cum datum est, non reddi: qui
 sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit: ergo non est beneficium. Alio
 tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc est probabile, & suspi- C
 ciendum, quod alteri ut aliquis prodesset, utilitatis interim suæ oblitus est: quod alteri
 dedit, ablaturus sibi. hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis
 res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non est socialis res, neminem con-
 ciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, ut dicat: Hic homo colendus est. illi
 beneficium dedit: dabit & mihi. Beneficium est, quod quis non suâ causâ dat, sed
 eius cui dat: is qui sibi beneficium dat, suâ causâ dat: non est ergo beneficium.
 XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abesse ab eo
 qui ⁵⁸ operæpretium facit; imò totam operam bonâ fide perdere? Expecta. etiam hoc
 verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero: a quibus cum euaseris, nihil amplius
 assecutus eris, quam ut eas difficultates effugias, in quas licuit non descendere. Quid
 enim boni est, nodos operosè ⁵⁹ soluere, quos ipse ut solueres, feceris? Sed quemadmo-
 dum quaedam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, ut eorum solutio imperito
 difficilis sit: quæ ille qui implicuit, sine vlllo negotio separat; quia commissuras eorum
 60 & moras nouit: & nihilominus illa habent aliquam voluptatem. tentant enim acu-
 men animorum & intentionem excitant: ita hæc quæ videntur callida & insidiosa, se-
 curitatem, torporem ac segnitiam ingeniis auferunt, quibus modò campus in quo va-
 gentur,
 54. ALIQVID.] *Perplacet Gruteri correctio: dat*
 sibi. Alioqui duo contraria.
 55. PAVLOANTE.] *Initio Capitis: Præstitisse,*
 ad alios spectat.
 56. COLITVR.] *Liuius libro IX. de Romanis:*
 Apud quos iuxta diuinas religiones Fides coli-
 tur. *Et habuit Roma iam à Numâ sacrarium, aut*
templum.
 CAP. XI. 57. VLTIMAM.] *An alteram? In-*
tellegi hoc quod obiectum erat (initio cap. IX.) Be-
neficium sibi dare potest, ergo & referre gratiam.
 Prius membrum de Beneficio, refusauit: nunc hoc al-
 terum, de Gratiâ.
 CAP. XII. 58. OPERÆPRETIUM.] *Alludit*
ad verba primi Capitis, atque ipsa repetit. vide.
 59. SOLVERE.] *Aristippi in iis lepidum dictum:*
 Proponente quodam captiuiculam, & ut solu-
 ret virgite: O fatue, inquit, quid opus soluere,
 quod etiam ligatum exhibet negotium?
 60. ET MORAS.] *Vulgo, mores. Illud aptius, &*
tamen aptius vellem. An fuit, ex more?

Agentur, sternendus est, modò ⁶¹ scabri aliquid & confragosi obticiendum, per quod crepant, & sollicitè vestigium faciant. Dicitur nemo ingratus esse, id sic colligitur. Beneficium est quod prodest: prodesse autem nemo homini malo potest, ut dicitis Stoici: ergo beneficium non accipit malus: itaque nec ingratus est. Etiamnum, beneficium honesta & probabilis res est. Apud malum nulli honestæ rei aut probabili locus est: ergo nec beneficio: quod si accipere non potest, nec reddere quidem debet. & ideò non fit ingratus. Etiamnum, ut dicitis: Bonus vir omnia rectè facit: si omnia rectè facit, ingratus esse non potest. Bonus beneficium reddit; malus non accipit. quod si est, nec bonus quisquam ingratus est, nec malus. ita ingratus in rerum naturâ est nomen, & hoc inane. Vnum est apud nos bonum, honestum. id peruenire ad malum non potest: desinit enim malus esse, si ad illum virtus intrauerit. Quamdiu autem malus est, nemo illi dare beneficium potest: quia bona malaque dissentiunt, nec in vnum eunt. Ideò nemo illi prodest: quia quidquid ad illum peruenit, id prauo vsu corrumpit. Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem: quoscumque accepit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus cæcus, quidquid illi commiseris, id onus suum, & perniciem, & occasionem miseræ facit. Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum æstus subest, minusque se inueniunt, quò in maiorem materiam inciderunt, quâ fluctuantur. Ergo nihil potest ad malos peruenire, quod proficit: inò nihil quod non noceat. Quæcumque enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt, & extrâ speciosa, profuturaque si meliori darentur, illis pestifera sunt. Ideò nec beneficium dare possunt: quoniam nemo potest, quod non habet, dare: ⁶² hic beneficiendi voluntate caret. Sed quamuis hæc ita sint, accipere tamen malus potest, **XIII.** quæ beneficiis similia sint: quibus non redditis, ingratus erit. Sunt animi bona, sunt corporis, sunt fortunæ. Illa animi bona, à stulto ac malo submouentur: ad hæc admittitur, quæ & accipere potest, & debet reddere: & si non reddit, ingratus est. Nec hoc ex nostrâ constitutione tantum. Peripatetici quoque, qui felicitatis humanæ ⁶³ longè lateque terminos ponunt, aiunt, minuta peruenire beneficia ad malos. hæc qui non reddit, ingratus est. Nobis itaque beneficia esse non placet, quæ non sunt animum factura meliorem: ⁶⁴ commoda tamen illa esse, & expetenda, non negamus. Hæc & viro bono dare malus potest, & accipere à bono: ut pecuniam, vestem, honores, & vitam. quæ si non reddet, in ingrati nomen incidet. At quomodo ingratum vocas, eo non reddito, quod negas esse beneficium? Quædam etiam si vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic ⁶⁵ pyxidem, & argenteam & auream dicimus. sic illitteratum, non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum. sic qui malè vestitum & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit. Beneficia ista non sunt: habent tamen beneficij speciem. Quomodo ista sunt tamquam beneficia: sic & ille tamquam ingratus est, non ingratus. Falsum est. quia illa beneficia, & qui dat appellat, & qui accipit. Ita & qui veri beneficij specie fefellit, tam ingratus est, quàm veneficus, qui ⁶⁶ soporem cum venenum crederet, miscuit. Cleanthes vehementius agit. Licet, **XIV.** dicit, beneficium non sit quod accipit, ipse tamen ingratus est: quia non fuit redditurus, etiam si accepisset. Sic latro est, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum iam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit. Ipsum quod accepit, beneficium non erat, sed vocabatur. Sacrilegi dant pœnas, quamuis nemo vsque ⁶⁷ ad deos manus porrigat. Quo-

61. SCABRI.] Est à Pinciano. at libri omnes crebri. valdè fallor, aut creperi fuit.

62. HIC BENEF.] Sententia redditur, sic, scribendo.

CAP. XIII. 63. LONGE LATEQUE.] Nam & corporis ac fortune bona ad summum bonum admittunt.

64. COMMODA.] Εὐχρησά Stoicorum voce: de quibus in Manud. 11. Dissert. XXIII.

65. PYXIDEM.] Contra vim verbi, quia πυξίς Grecis est δαρὸν ἢ βύξου: Latine Buxidem dicas, à Buxo. Atqui à ligno metalla abeunt.

66. SOPOREM.] Medicamentum soporiferum, ὑπνωτικόν, ut ille Domitij medicus supra, lib. III. cap. XXIII. dedit. Ita Glossa Soporem, ὑπνοσύν exponunt: id est, soporationem: & Seneca epistola LXXXIII. Nec sopore sumpto, dormiturum.

CAP. XIV. 67. AD DEOS.] Meus, ad cælos: & verum

Quomodo, inquit, aduersus malum ingratus est quisquam, cum malo dari beneficium non possit? Eâ scilicet ratione, quia accepit ab illo aliquid ex his, quæ apud imperitos bona sunt: quorum si malis copia est, ipse quoque in simili materiâ gratus esse debet: & illa qualiacumque sunt, cum pro bonis acceperit, pro bonis reddere. ⁶⁸ Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium formâ publicâ percussum, quale apud ⁶⁹ Lacedæmonios fuit, quod vsus numeratæ pecuniæ præstat. Quo genere obligatus xv. es, hoc fidem exsolue. Quid sint beneficia, an & in hanc sordidam humilemque materiam deduci magnitudo nominis clari debeat; ad vos non pertinet: ⁷⁰ ad alios spectat verum. Vos ad speciem veri componite animum: & dum honestum dicitis, quidquid est id, quod nomine honesti iactatur, id colite. Quomodo, inquit, nemo per vos ingratus est, sic rursus omnes ingrati sunt. Nam (vt dicitis) omnes stulti mali sunt: qui autem habet vitium vnum, ⁷¹ habet omnia: omnes autem stulti & mali sunt. omnes ergo ingrati sunt. Quid ergo? non vndique humano generi conuicium fit? non publica querela est, beneficia ⁷² perisse, & paucissimos esse, qui de benemerentibus non iniucem pessimè mereantur? Nec est quod hanc tantum nostram murmurationem putes, pro pessimo prauoque numerantium, quidquid citra recti formulam ⁷³ cecidit. Ecce ⁷⁴ nescio, quæ, non ex philosophorum domo clam, sed ex medio conuentu, populos gentesque damnatura vox mittitur:

— Non hospes ab hospite tutus,

Non socer à genero. fratrum quoque gratia rara est:

Immet exitio vir coniugis, illa mariti.

Hoc iam amplius est. beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur: ipsi patriæ manus afferre, & ⁷⁵ fascibus suis illam premere, potentia ac dignitas est. Humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rempublicam steterit. Accepti ab illâ exercitus in ipsam conuertuntur, & imperatoria ⁷⁶ concio est, Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos. aras, focos, penates, armis incessite. Qui ne triumphaturi quidem C intrate urbem ⁷⁷ iniussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia ⁷⁸ extra muros præberetur: nunc ciuibus cæsis, perfusi cruore cognato, urbem ⁷⁹ subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas, & ille victor, pator-

& verum est. De sententiâ, vide infra, libro VII. cap. VII. & De const. sap. cap. IV.

68. ÆS ALIEN.] Quia olim pecunia omnis in are. vox igitur recentia, nisi argentum & aurum successit.

69. LACEDÆMONIOS.] Nicolaus Damascenus: νομισματι χρῆματα συνήθη: nummo vtuntur coriaceo.

CAP. XV. 70. AD ALIOS.] Meus, & plerique scripti: in alios queritur verum. Sententia quidem est. vos viles & è tyrbâ, vos stulti, frustra de vero beneficio queritis, eius non capaces: ad speciem & imaginem eius ite, veritas aliis queritur.

71. HABET OMNIA.] Suprà, lib. IIII. cap. XXVI.

72. PERISSE.] Catulli querela: Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est. Homeri iam olim: Odys. δ.

— ἀδῆ τῆς ἐς ἡδέως μετόπισθ' εὐεργέτων:

— nec vlla est gratia post benefacta.

73. CECIDIT.] Occidit, meus liber.

* 74. NESCIO QVÆ.] Idem ille, nescio quemdam, qui non. & paullo post, clamat, pro clam. Legam: Ecce nescio quem, qui non è philosophorum domo clamat, sed. Enimvero illud clam, quod

à Mureto est, non placet: nec enim Philosophi musantes loquuntur, sed palam & liberè conuicium moribus faciunt. Itaque si eius cetera lectio tenenda, tamen hic faciam, è phil. domunculâ. Id enim genus angustius & vilius serè habitant.

75. FASCIBVS SVIS.] Magistratibus & imperiis ab illâ datis. Ad Marium, Sullam, Casarem pertinet.

76. CONCIO EST.] Qualis illa Casaris, apud Lucanum:

Tollite iam pridem victricia, tollite signa: Viribus vtendum est, quas fecimus. arma tenenti

Omnia dar, qui iusta negat. Sed responsio deinde Lalij pulchra, & planè pro Seneca mente. Vide.

77. INIVS SV.] Nam Senatus primum dabatur triumphaturo, in ade Bellonæ: atque ibi rebus expositis, ille fiebat auctor. Populus autem propriè iubebat, Senatus decernebat. Itaque hic de Iniussu, non minus ex formulâ. De solo tamen Senatu Seneca, pro more sui aut superioris æui, sub Principibus, nam olim, etiam iniusto Senatu, populus sepe dedit.

78. EXTRA MVROS.] Nec enim fas intrare urbem cum imperio, sine auctoritate.

79. SVBRECTIS.] Vt in acie & pugnâ.

A catorque gentium populus, remotis procul bellis, omni terrore compresso, intra muros obfessus, ⁸⁰ aquilas suas horreat. Ingratus est Coriolanus: serò & post sceleris XVI. penitentiam pius. posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina. parum est illi capere patriam, nisi euerterit, nisi ⁸¹ Allobrogum in illam cohortes immiserit, & trans alpes accitus hostis, vetera & ingenita odia fatiauerit, ac diu debitas ⁸² inferias ⁸³ Gallicis bustis duces Romani persoluerint. Ingratus C. Marius, ad consulatum ⁸⁴ à caligâ perductus: qui nisi Cimbricis cædibus Romana funera æquauerit, nisi ciuili exitij & trucidationis non tantum ⁸⁵ dederit signum, sed ⁸⁶ ipse signum fuerit, parum ⁸⁷ mutatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sulla: qui patriam durioribus remedijs quam pericula erant, sanauit. qui cum à Prænestinâ arce, vsque ad Collinam portam, ⁸⁸ per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in vrbe prælia, alias cædes: ⁸⁹ legiones duas, quod crudele est, post victoriam; quod nefas, post fidem, ⁹⁰ in angulum congestas contrucidauit, & proscriptionem commentus B est: dij magni! vt qui ciuem Romanum occidisset, impunitatem, & ⁹¹ pecuniam, tantum non ⁹² ciuicam acciperet. Ingratus Cn. Pompeius: qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maximâ parte ⁹³ immaturus inuaserat, hanc gratiam reipublice reddidit, vt in possessionem eius ⁹⁴ alios quoque induceret, quasi potentie suæ detracturus inuidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus licuisset: dum extraordinaria concupiscit imperia, dum prouincias, vt ⁹⁵ eligat, ⁹⁶ distribuit, dum ita ⁹⁷ triumphis temp. diuidit, vt tamen in suâ domo duæ partes essent, eò redegit populum Rom. vt saluus esse non posset, nisi beneficio ⁹⁸ seruitutis. Ingratus ipse Pompeij hostis ac victor, qui à Galliâ Germaniâque bellum in vrbem circuegit, & ille plebicola,

80. AQUILAS.] *Legiones suas.*

CAP. XVI. 81. ALLOBROGVM.] *Quos in societatem sollicitauit.*

C 82. INFERIAS.] *De more. quia suso hostili sanguine placare mortuos solent: idq. ad sepulchrum.*

83. GALLICIS BUSTIS.] *Locus ita Roma dictus, vbi cæsi conditiq. à Camillo Galli. Linius: Mediâ vrbe, quâ nunc Busta Gallorum sunt. Vatro: Is locus, ad Busta Gallica. quod Româ recuperatâ, Gallorum ossa, qui possederant vrbem, ibi coaceruata ac confecta.*

84. A CALIGA.] *Id est, à gregario milite, & ab imis ordinibus. Nam eorum caliga: & caligati inde milites. Nec tamen Gallicâ: sed male. Lapis vetus: OMNIBVS. OFFICIIS. IN. CALIGA. FVNCTO.*

85. DEDERIT SIG.] *In militiâ: cum tesseram eundi Romam, & trucidandi dedit.*

D 86. IPSE SIGNVM.] *An quia eius ad spectu mouebantur, & miserum vindicabant? An potius, quia tacitum signum gestu, & à se dabat: vt videlicet interficerentur, quibuscumque manus osculum negasset? Florus lib. III. Ancarius, ipso vidente Mario, confossus est, quia scilicet fatalem illam manum non porrexerat salutanti. Augustinus III. De Civ. In ipsius autem Marij oculis continuò feriebantur, quibus salutantibus dextrâ porrigere noluisse. Plutarchus in Mario: Quoscumque salutantes, neque affatus esset, neque resalutasset complexusve esset, hoc ipsum SIGNVM erat interficiendi eos in viis.*

87. MUTATAM.] *Libri scripti omnes, multatam. quod tamen haud approbem, nisi placitum Pinciano.*

88. PER SANG.] *Quia ad Præneste, & mox ad vrbem, pugnas aliquot pugnavit, & vicit cum magnâ cæde.*

89. LEGIONES DVAS.] *Idem noster, Septem millia hominum, De Clem. I. cap. XII. Vide.*

90. IN ANGVLVVM.] *In ouile, quod erat in campo Martio. Alij, vt Florus, in villam publicam.*

91. PECVNIAM.] *Duo talenta, Plutarchus: id est, mille ducentos Philippæos.*

92. CIVICAM.] *Ludit, aut mordet. Quid superest, nisi vt Ciuicâ donentur, Ob ciues non seruatos, sed necatos?*

93. IMMATVRVS.] *Ne Senatoriâ quidem atate: & bis triumphauit (Plinius lib. VII.) adhuc eques Romanus. Annos XXI. natus res gerere cepit, ciuili bello Sullæ adiunctus.*

94. ALIOS.] *M. Crassum, & C. Cesarem, Triumuirali potentia inter ipsos constituta.*

95. ELIGAT.] *Sicut elegit Hispanias & Africam.*

96. DISTRIBVIT.] *Cæsari Gallias & Illyricum, Crasso Syriam.*

97. TRIVMVIRIS.] *Gruterus, ex vno codice, dum ita cum tertio temp. diu. Id est, inquit, cum M. Crasso: nam duæ partes in eius domo, quia & socer eius Iulius Cæsar, iam in domo. Acute omnino, sed libri alij Triumuiris retinent: parum apud, quia ipse etiam Triumuir. Ergo legerim: dum ita Triumuir r. d. Ipse Triumuir diuidit alijs, & reuera solus plus duobus tenuit, potuitq.*

98. SERVITVTIS.] *Tacitus I. Annal. Discordantis patriæ non aliud remedium fuisse, quam si ab vno regeretur.*

f

99. CASTRA

cola, ille popularis, ⁹⁹ castra in circo Flaminio posuit, propius quàm ¹⁰⁰ Porfenæ fuerant. Temperauit quidem ius crudelitatemque victoriæ. quod dicere solebat, præstitit: neminem occidit ¹⁰¹ nisi armatum. Quid ergo est? Ceteri arma cruentius exercuerunt, satiati tamen aliquando ¹⁰² abiecerunt: hic gladium citò condidit, numquam ¹⁰³ posuit. Ingratus Antonius in dictatorem suum, quem ¹⁰⁴ iure cæsum pronuntiauit, interfectoresque eius in prouincias & imperia dimisit, patriam verò proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam, post tot mala, destinauit ¹⁰⁵ ne Romanis quidem regibus: vt quæ Achæis, Rhodiis, & plerisque urbibus claris ius integrum, libertatemque cum immunitate reddiderat, ipsa tributum ¹⁰⁶ spadonibus penderet. Deficiet dies, enumerantem ingratos, vsque in vltima patriæ exitia. Æquè immensum erit, si percurrere cœpero, ipsa respublica quàm ingrata in optimos ac deuotissimos sibi fuerit: quamque non minùs sæpe peccauerit, quàm in ipsam peccatum est. ¹⁰⁷ Camillum in exsilium misit: Scipionem ¹⁰⁸ dimisit. exsulauit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum quidquid victor Catilina fecisset. ¹⁰⁹ Rutilius innocentie pretium tulit ¹¹⁰ in B. Asiâ latere: Catoni populus Romanus ¹¹¹ præturam negauit, consulatum ¹¹² pernegauit. Ingrati publicè sumus. Se quisque interroget: nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, vt omnes querantur, nisi querendum est ¹¹³ de omnibus. Omnes ergo ingrati sunt. Tantùm? & ¹¹⁴ cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi omnes, illi in primis qui videntur audaces. Adiiice, & ambitiosi omnes sunt, & impij omnes. Sed non est quòd irascaris. ignosce illis: omnes insaniunt. Nolo te ad incerta reuocare, vt dicam, Quàm ingrata sit iuuentus, ¹¹⁵ vide. Quis non patri suo supremum diem, vt innocens sit, optat? vt moderatus, ¹¹⁶ exspectat? vt pius, cogitat? Quotus quisque

99. CASTRA.] Satis inuidiosè. nemo (quos legem ita scripsit: ne Lucanus quidem, ex professo Cæsaris, & Cæsaris adeo, hostis. Ille traxisse quidem agmina dicit, sed non armata, & pacis habentia vultum. Ipse Cæsar de se, i. Ciuil. Milites in proxima municipia deductos scribit, sese ad urbem profectum. Quod non conuenit cum his Seneca castris, & quidem in Circo Flaminio. Cur tamen ibi? Quia extra urbem Senatim primò habuit Cæsar (more Imperatorum) in Apollinis templo: & iuxta, ille Circus. Probabile autem, Cæsarem aliquos milites, etsi togatos fortasse, secum eo traxisse, præsidij causâ: quod nunc Seneca attollit.

100. PORSENÆ.] Qui in Ianiculo castra habuit.

101. NISI ARM.] Velleius: Neminem, nisi acie consumptum ciuem, patria desiderauit.

102. ABIECERVNT.] Vt Sulla.

103. POSUIT.] Ius sibi semper educendi seruanit, perpetuâ illâ Dictaturâ.

104. IURE CÆSUM.] Id verò voce aut scito Antonius numquam fecit: imò palàm pro eo, vt primùm topia fuit, pugnauit. Hactenus submisit se necessitati & rerum fluxui, vt Obluionem & veniam præteritorum pateretur induci. At Seneca, declamatorio illo more, hoc interpretatur, probasse necem Iulianam, quia statim vltus non fuisset, quia cum ipsi coniuuatis fædus aliquod percussisset.

105. NE ROMANIS.] Nempe sua Cleopatræ.

106. SPADONIBVS.] Qui apud reginam potentes. Horatius:

Romanus, eheu posteri negabitis,
Emancipatus femina,
Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Seruire rugosis potest.

CAP. XVII. 107. CAMILLVM.] Ipsa hæc exempla Valerius, lib. v. cap. iii. rettulit, ingrati Senatus, & populi.

108. DIMISIT.] Quod mollius est, quàm misit: valetq; passa est ire, aut certe in eo manere. Notum est de secessu Scipionis in Litérum suum, atque ibi neglectum à ciuibus obiisse.

109. RUTILIUS.] De quo sæpe noster. In exsilium iniuste missus damnatusq; ab equitibus, in eo perseverauit. Vide de Prouid. cap. iii.

110. IN ASIA.] Smyrna.

111. PRÆTURAM.] Prælato etiam illi Vainio. Semel autem negauit, anno sequenti dedit.

112. PERNEGAVIT.] Cur sic loqueris? nam semel dumtaxat petiit, instante ciuili bello: nec nisi semel igitur populus negauit. Vult hoc tamen, quòd Prætura mox delata fuit, at non Consulatus: atque ita quasi perpetuum negatus.

113. DE OMNIBVS.] Sententiæ acumen hoc est. D. Omnes queruntur: singuli autem serè de singulis, certè diuersis: ergo omnes ingrati, quòd querela ea euincit.

114. CVPIDI OMNES.] Hæc & sequentiæ Stoicæ altitudinis, & illius Paradoxi, Omnia vitia in omnibus esse: Manud. iii. Diff. xx.

115. VIDE.] Ista vox abest meo libro. scribitque anteriora: Quàm ingrata uice sit iuuentus. Posses, Quàm ingrata vide sit i. Sed verius, Quàm ingrata, videtis, iuuentus. Libri alij ob voculam istam Comicam valdè turbant.

116. EXSPECTAT.] Iocus ille notus, apud Quinfilianum: cum pater obieisset filio, Quòd mortem suam exspectaret: Ego verò non exspecto, inquit. Pater argutissimè, Imò rogo exspectes.

A que vxoris optimæ mortem timet, vt non ¹¹⁷ computet? Cui rogo litigatori defenso, tam magni beneficij, ¹¹⁸ vltra res proximas, memoria durauit? Illud in confesso est. quis sine querelâ moritur? quis extremo die dicere audeat:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi?

quis non recusans, quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati est, non esse contentum ¹¹⁹ præfato tempore. Semper pauci dies erunt, si illos numeraueris. Cogita, non esse summum bonum in tempore. quantumcumque est, boni consule. Vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam morâ non fit beator vita, sed longior. Quanto satius est, gratum aduersus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, sed suos benignè æstimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum iudicauit Deus? hoc satis est. Potuit plus? sed hoc quoque beneficium est. Grati simus aduersus deos, grati aduersus homines, grati aduersus eos, qui nobis aliquid præstiterunt; grati etiam aduersus eos qui nostris præstiterunt.

In infinitum, inquis, me obligas, ^{XVIII.}
B cum dicis, & nostris. itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, vt dicis, & patri eius dat. ¹²⁰ Primum vnde, quò, quæro. Deinde illud vtique mihi determinari volo, si & patri beneficium datur, numquid & fratri? numquid & patruo? numquid auo? numquid vxori, & focero? Dic mihi, vbi debeam desinere: quousque personarum seriem sequar. Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dederò: si domum tuam ardentem restinxero, aut ne cadat excepero, tibi beneficium non dabo? Si seruum tuum seruauero, tibi imputabo: si filium tuum seruauero, non habebis beneficium meum?

Dissimilia ponis exempla: quia qui agrum meum colit, agro beneficium non dat, sed ^{XIX.}
mihi: & qui domum meam, quò minus ruat fulcit, præstat mihi. ipsa enim domus sine sensu est. Debitorem me habet, quia nullum habet. Et qui agrum meum colit, non illum, sed me demereri vult. Idem de seruo dicam. mei mancipij res est, mihi seruatur: idè ego pro illo debeo. Filius ipse beneficij capax est. itaque ille accipit: ego beneficio lator. contingor, non obligor. Velim tamen, tu qui debere non putas, respondeas mihi:

C filij bona valetudo, felicitas, patrimonium, pertinet ad patrem? felicior futurus est, si saluum habuerit filium: infelicior, si amiserit? Quid ergo? qui & felicior fit à me, & infelicitatis maximæ periculo liberatur, non accipit beneficium? Non, inquit. quædam enim in alios conferuntur, sed ad nos vsque permanant. ab eo autem exigi quidque debet, in quem confertur: sicut pecunia ab eo petitur, cui credita est, quamuis ad me illa aliquo modo venerit. Nullum beneficium est, cuius commodum non & proximos tangat, nonnumquam etiam longius positos. Non quæritur, quò beneficium ab eo cui datum est, transferatur, sed vbi primò collocetur. à reo tibi ipso & à capite repetitio est. Quid ergo? oro te, non dicis, filium mihi donasti, & si hic perisset, victurus non fui? pro eius vitâ beneficium non debes, cuius vitam tuâ præfers? Etiamnum cum filium tuum seruauit, ad genua procumbis, diis vota soluis, tamquam ipse seruatus. Illæ voces exeunt tibi: *Nihil interest, ¹²¹ mea an me seruaueris. duos seruasti: imò me magis.* Quare ista dicis,
D si non accipis beneficium? quia & si filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ego debuero. quia etsi filius meus in adulterio deprehensus erit, erubescam, non idè ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio: non quia sum, sed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. At peruènit ad me summa ex incolumitate eius voluptas, summa vilitas, & orbitatis grauissimum vulnus effugi.
Non

117. COMPVTET.] Id est, simul de morte & de lucello cogitet: quod à diuitis vxoris morte expectet. In mixtâ autem cogitatione, dolens, vt sic dicam, gaudet.

118. VLTURA RES.] Res simpliciter lites, & actus rerum. Ita res prolatae dicuntur, cum serie forum habent. Ita sententia est: Nemo litigator meminit patrocini, post vnas ferias: non extendit memoriam vltra actum proximum rerum.

119. PRÆFATO.] Mihi melior librorum nostro-

rum scriptio, præfatio. Id autem genus, Ingrati etiam Lucretius damnat, & sunt hæc à scholâ Epicuri.

Deinde animi ingrata naturâ pascere semper, Atque explere bonis rebus, satiareq; nūquam: & plura in hanc sententiam libro III.

CAP. XVIII. 120. PRIMVM VNDE, QVÒ.] Id esset, vnde incipis, quousque progredieris? Atque tamen & quidâ libri, Primum de quo: minus plenè.

CAP. XIX. 121. MEA AN ME.] Imò interest, si latè ad alia refers: malimq; meum an me.

Non queritur nunc, an profueris mihi, sed an beneficium dederis. prodest enim & animal, & lapis, & herba: nec tamen beneficium dant, quod numquam datur, nisi à volente. Tu autem non vis patri, sed filio dare: & interim, ne nosti quidem patrem. Itaque cum dixeris, Patri ergo beneficium non dedi, filium eius seruando? contra opponere, Patri ergo beneficium dedi, quem non noui, quem non cogitavi? Et quid, quod aliquando euenit, vt patrem oderis, filium serues: beneficium ei videberis dedisse, cui tunc inimicissimus eras, cum dares? Sed vt dialogorum altercatione seposita, tamquam iurisperitus ¹²² respondeam, mens spectanda est dantis. beneficium ei dedit, cui datum voluit. Sicut si in patris honorem fecit, pater accipit beneficium: sic pater beneficium in filium collato non obligatur, etiam si fruatur. Si tamen occasione habuerit, volet & ipse prestare aliquid: non tamquam soluendi necessitatem habeat, sed tamquam incipiendi causam. Repeti à patre beneficium non debet: si quid pro hoc benigne facit, iustus, non gratus est. Nam illud finire non potest: si patri do beneficium, & matri, & auo, & auunculo, & liberis, & affinibus, & amicis, & seruis, & patriæ. Vbi ergo beneficium incipit stare? Sorites enim ille inexplebilis subit: cui difficile est modum imponere, quia paulatim surrepit, & non desinit serpere. Illud solet queri: Fratres duo dissident. si alterum seruo, an dem beneficium ei cui fratrem inuisum non perisse molestè laturus est? Non est dubium, quin beneficium sit etiam inuito prodesse: sicut **xx.** non dedit beneficium, qui inuitus profuit. Beneficium, inquit, vocas, quo ille offenditur, quo torquetur? Multa beneficia ¹²³ tristem frontem & asperam habent, quemadmodum secare & vrere vt sanes, & vinculis coercere. Non est spectandum an doleat quis beneficio accepto: sed an gaudere debeat. Non est malus denarius, quem barbarus & ignarus formæ publicæ reliccit. Beneficium & odit, & accipit: si modò id prodest, si is qui dabit, vt prodesse dedit. nihil refert an bonam rem malo animo quis accipiat. Agedum, hoc in contrarium verte. Odit fratrem suum, quem illi expedit habere. hunc occidi. non est beneficium, quamuis ille dicat esse, & gaudeat. Infidiosissime nocet, cui gratiæ aguntur pro iniuriâ. ¹²⁴ Video. Prodest aliqua res, & ideo beneficium est: nocet, & ideo non est beneficium. Ecce, quod nec prodest, nec noceat, dabo: & tamen beneficium est. Patrem alicuius in solitudine exanimem inueni, corpus eius sepeliui. nec illi profui (quid enim illius intererat, quo genere dilaberetur?) nec filio. quid enim per hoc commodi accessit illi? Dicam quid consecutus sit: officio sollenni & necessario per me functus est. Præstiti patri eius, quod ipse prestare voluisset, nec non & debuisset. Hoc tamen ita beneficium est, si non misericordiæ & humanitati dedi, vt quodlibet cadauer absconderem: sed si corpus agnouit, si filio tunc hoc prestare me cogitavi. At si terram ignoto ¹²⁵ mortuo iniecti, nullum habeo huius officij debitorem, ¹²⁶ in publicum humanus. Dicet aliquis, Quid tantopere queris, cui dederis beneficium, tamquam repetiturus aliquando? Sunt qui numquam iudicant esse repetendum, & has causas afferunt. Indignus, etiam repetenti non reddet: dignus, ipse per se referet. Præterea si bono viro dedisti, exspecta: ne iniuriam illi facias appellando, tamquam non fuisset suâ sponte redditurus. si malo viro ¹²⁷ dedisti, fer. Beneficium ¹²⁸ verbo ne corrueris, creditum faciendo. Præterea, lex quod non iussit repeti, vetuit. Vera sunt ista. quam diu me nihil vrget, quam diu fortuna nihil cogit, ¹²⁹ petam potius beneficium quam

122. RESPONDEAM.] *Non disputem ultra aut dubitem, sed velut de iure, certum respondeam.*

CAP. XX. 123. TRISTEM FRONTEM.] *Spe-
ciem & aspectum. Tacitus, In frontem pulchra.
Valerius, In fronte beata.*

124. VIDEO.] *Dialogismus est, & interposita
persona. Si non, legas: Vides?*

125. MORTVO INIECI.] *Ita moris & religio-
nis, vt vel transeuntes iniicerent deserto terram. Ho-
ratius: -licebit Iniecto ter puluere curras.*

Quintilianus Declamat. v. Ignotis cadauenibus

humum congerimus, & insepultum corpus nulla festinatio tam rapida transeurrit, vt non tantulumque veneretur aggestu.

126. IN PVBLICVM.] *Natura & humani-
tati hoc tribuens.*

127. DEDISTI, FER.] *Scripti, dedisti fle-
ctere. ex quo verissime Erasmus, plectere: pennis
imprudentiæ luc.*

128. VERBO NE.] *Ipsò illo Repetendi: quod
exactionem, & ex debito, sonat. Possit legi, verò.*

129. PETAM POTIVS.] *Placet. & est sententiæ,
comiter*

Iulium ex veteranis quidam, paulò violentior aduersus ¹³⁶ vicinos suos, & causâ premebatur. *Meministi*, inquit, *Imperator in Hispaniâ talem te torfisse*, ¹³⁷ *circa Socronem?* cum Cæsar meminisse se dixisset: ¹³⁸ *Meministi quoque*, inquit, *sub quadam arbore minimum umbra spargente, cum velles residere seruentissimo sole. & esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis, unica illa arbor eruperat, quemdam ex commilitonibus* ¹³⁹ *penulam suam substrauisse?* Cum dixisset Cæsar: *Quid mi meminerim? & quidem siti confectus, quia* ¹⁴⁰ *impeditus ire ad fontem proximum non poteram, reperere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galeâ suâ attulisset. Potes ergo*, inquit, *Imperator, agnoscere illum hominem, aut illam galeam?* Cæsar ait, se non posse galeam agnoscere, hominem pulchrè posse: & adiecit, puto ob hoc iratus, quòd se à ¹⁴¹ cognitione mediâ ad veterem fabulam adduceret: *Tu utique ille non es. Meritò*, inquit, *Cæsar me non agnoscis. nam cum hoc factum est, integer eram. postea ad Mundam in acie oculus mihi effusus est, & in capite* ¹⁴² *lecta ossa. Nec galeam illam si videres, agnosceres: macharâ enim Hispaniâ diuisa est.* Veruit illi exhiberi negotium Cæsar: & agellos, in quibus ¹⁴³ vicinalis **XXV.** via, causâ rixæ ac litium fuerat, militi suo donauit. *Quid ergo?* non repetere beneficium ab Imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat? quem fortuna ¹⁴⁴ ingens, exercitus disponentem, non patiebatur singulis militibus occurrere? Non est hoc repetere beneficium, sed resumere bono loco positum, & paratum: ad quod tamen vt fumatur, manus porrigenda est. Repetam itaque, quia hoc aut necessitate facturus ero, aut illius causâ, à quo repetam. Tiberius Cæsar inter ¹⁴⁵ initia dicenti cuidam, *Meministi*, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret: *Non memini*, inquit, *quid fuerim.* Ab hoc nedum esset repetendum beneficium, ¹⁴⁶ optanda erat obliuio. Auerfabatur omnium amicorum & æqualium notitiam, & illam solam præsentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitorem habebat, veterem amicum. Magis tempestiuè repetendum est beneficium, quàm petendum. Adhibenda verborum moderatio, vt nec ingratus possit disflimulare. Tacendum & expectandum, si inter sapientes viueremus: & tamen sapientibus **C** quoque indicare melius fuisset, quid rerum nostrarum status posceret. Deos, quorum notitiam nulla res effugit, rogamus: & illos vota non exorant, sed admonent. ¹⁴⁷ Diis quoque, inquam, Homericus ille ¹⁴⁸ sacerdos allegat officia, & aras religiosè cultas, quò obsequentes faciat: ¹⁴⁹ & parent. Moneri velle ac posse, ¹⁵⁰ secunda virtus est. **Huc**

CAP. XXIII. 136. VICINOS SVOS.] *Vt solent feroces illi, aut & diuites, qui terminos asidue promouebant.*

137. CIRCA SVCRONEM.] *Bello Hispaniensi euenisse debuit: etsi in scriptoribus illis hodie sletur.*

138. MEMINISTI QVOQVE.] *Pleraque scripta lectio, meministi equidem: & decorum in sermone militari. Atque illud Equidem, aliis etiam personis iungi solet.*

139. PENVLAM.] *Que in militum & itinerantium usu.*

140. IMPEDITVS.] *Pede laesus, & deuinctus. Sed ego non nollem, quia pedibus.*

141. COGNITIONE.] *Proprium verbum, ubi Principes aut maiores magistratus, extra ordinem rem noscunt & arbitrantur. Suetonius Claudio: Negantem cognitionis, sed ordinarij iuris rem esse.*

142. LECTA OSSA.] *Allusum, vel lusum in lectione ossium funebri. De Prouid. cap. III. Remedij causâ quibusdam & radi ossa, & legi. Adde Consol. ad Marc. cap. XXII.*

143. VICINALIS.] *Hyginus definit, quæ à vico ad vicum ducit: in usum nempe vicinie. vt Luito libro XXI. lintres ad vicinalem usum. Pinciano cur visum legere, vicina filua, non equidem video.*

CAP. XXV. 144. INGENS, EXERCITVS.] *Vellim, ingentes exercitus.*

145. INITIA.] *Principatus sui.*

146. OPTANDA ERAT OBLIUV.] *Nam memoria cum periculo, & prouid. lesisse. Plinius Panegyrico: Quorum votum antè fuerat, vt memoria Principis elaborentur.*

147. DIIS QVOQVE.] *Apollini.*

148. SACERDOS.] *Chryses. Homerus ista, in Iliade primâ.*

149. ET PARENT.] *Meus liber, & parceret. quid fuerit, nescio: parare quidem ay non bellè aut decorè dicuntur.*

150. SECUNDA VIRTVS.] *Quæ ergo prima? Meus item liber alij, secula. Si autem hic secunda: quomodo statim, proximi sunt? Interpolata hæc habeo aut defecta.*

A Huc illuc frans leniter motis flectendus est animus, ¹⁵¹ paucis sui rector optimus. proximi sunt, qui admoniti in viam redeunt. His non est dux detrahendus. Opertis oculis inest acies, sed sine usu, quam lumen ¹⁵² à diis immissum ad ministeria sua euocat. Instrumenta cessant, nisi illa in opus suum artifex mouerit. Inest interim animis voluntas bona: sed torpet, modò deliciis ac situ, modò officij inscitia. Hanc vtilem facere debemus: nec irati relinquere in vitio, sed vt magistri puerorum discendum patienter ferre offensionem memoriae labentis. Quæ, quemadmodum subiecto vno aut altero verbo, ad contextum reddendæ orationis adducta est, sic ad referendam gratiam admonitione reuocanda est.

151. PAUCIS SVI.] *Scripti: paucisanimus, sui expeditur: Animus monito flectendus, qui apud paucos se regit.*
 152. A DIIS.] *Verum puto, radiis.*

